



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Excubiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

quo omnes animi morbi scaterè pullulareque sentiuntur, Laetantius Firmianus, Septimius Florentinus Apologetico, neque non illi omnes, qui cum Aristotele Platonis verba, non sensa, cavillis incessunt, hoc dissimularunt, in quo summa sapientiae veritas delitescerebat. Sed ut animi Medicum cum his dissimulemus: non desunt Platonis interpretes, qui Galli hujusmodi sacrificium eo trahunt, ut animas in caelum migrantes Phaebo paena, canere comminiscantur.

## APOLLO. CAP. XIX.

*Gallicinii  
proprietate.*

*Atque etiam  
à Pausania  
in prioribus  
Eliacis.*

Inter ea, quae Apollini dicata sunt, quippe Arietem, Crocodilum, Scarabeum, Accipitrem, Lynxem, Gallus etiam à Chæremone Stoico, & à Porphyrio recensetur. Infitum autem est Gallis, inquit Proclus, numen Apollinis advocare, & veluti propriis canticis asurgenti applaudere: deat lib. de Divinatione ait Cicero, animal hoc admodum canorum est sponte sua, nos vero sacris hymnis canimus gallicinio Luciferum venturae lucis prae-nuncium excitari, obductum caligine coelum aperiri, dari copiam ut patefacta jam via errores ambagesque omnes declinemus, canente Gallo, valetudinariis aliquam salutis, aut salutem allevationis spem affulgere, metuciosos trepidatione liberari, & multa, quae per insidias parabantur dissipari: quae omnia advenientis lucis beneficia sunt. Neque vero Soli tantum, verum etiam Luna dicatum esse Pythagoras aiebat. Pausanias, ubi statuas eorum, qui cum Hectore singulari certamine congredi, conjectis in urnam fortibus, minime recussissent, ab eo provocati, ab Achivis in Olympia dicatas ait, Idomeni clypeum Gallo gallinaceo insignitum fuisse tradit; propterea quod is à Minoe & Pasiphae duceret originem, quae Solis filia fuerit, cui Gallum dedicari constat: quia ortum ejus praesentiat, cantu indicet mortalibus.

## EXCUBIAE. CAP. XX.

*Lib. 4.*

Quia vero Gallus à prima mediae noctis inclinatione solet ex-  
*plaudentibus, ut Lucretius ait, alis*

*Aurorum clam consuetus voce vocare,*

matutino crepusculo, matutinis astris Deum itidem laudantibus quotidie commodulatur, excubiarum & vigiliarum signum apud antiquos fuit: eaque de causa Mercurio dicatus ferebatur. Ac ut nostra quoque attingamus, eo multo ante lucem canente aberrans respicit Petrus, & ut Ambrosius ait, expergefactus facti culpam incessit sui, amaroque fletu crimen rebellionis expurgat, ne mirum adeo sit, quod datam aliti huic intelligentiam apud Jobem legimus.

*Tempus resuscitantia  
D. Petri, à  
Matth. 1.  
26.  
Capit. 38.  
v. 36.*



## PROPHETA DOCTORESVE. CAP. XXI.

*Rom. 14.  
De Gloria  
munus.*

Sunt qui super hoc Jobis dicto intelligi velint Prophetas, & sacrae disciplinae Doctores hieroglyphice per Gallum accipi: propterea quod illi inter vitae praesentis tenebras, venturam lucem quasi cantando praenunciarunt: unde illud in eorum ore frequentius, *Nox praecessit, dies autem appropinquat.* Est & illud congruum Doctoris munus, ut quibus, quid, quando, & quomodo sit quicquam indicandum, inferendumque animis, debeat velut divinitus cognovisse: non enim inquit Eusebius, una eademque cunctis exhortatio convenit: quia nec cunctos par morum qualitas devincit atque constringit. Itaque Gallus certa per intervalla modo hos, modo illos excitat, & antelucanum tempus discrimine veluti quodam dipartitur.

## PUGNACITAS. CAP. XXII.

*Pausan. in  
prioribus  
Eliacis,  
Vel quod  
praesentia futuri  
temporis.*

IN Eleorum arce, Pallados simulacrum ex auro & ebore, Phidiae opus, erat cum Gallo in galea surrecto: quod pugnacitatis hieroglyphium esse Pausanias arbitratur, cum tamen non inficeret Gallum Minervae, cognomento Operatrici, sacrum esse. Sane Sybaritae, gens ad omnes molliumque numeros nata, Gallum in urbe esse prohibuerunt, ne nocturni somni quidem interpellaret. Idemque & fabriles omnes artes ablegaverant, ut memoriae prodidit Athenaeus, ne quid esset, quod vo-

*luptates*